



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque  
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XXXIX. De Excitatore matutino pro oratione mentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](#)

*Hoc signum magni Regis est; eamus & inquiramus eum. Prope est Dominus: venite adoremus.*

Desumi etiam poterit è nonnullis Psalmorum versiculis, aut exemplo vetustiorum quorundam Monasteriorum, quorum meminit S. Hieronymus, ex cœlesti *Alleluia* quod significat laudate Deum.

### CAPUT XXXIX.

#### *De excitatore matutino pro oratione mentali.*

**Q**uod si excitator nocturnus officio fungitur Angeli illius, qui Pastores invitabat, ut venirent ac Dominum nostrum adotarent in præsepio, Matutinus istum refert, qui Dominica Resurrectionis diei manè sanctis loquebatur mulieribus, illasque mittebat ad Apostolos, ut isti exinde apparitionibus ac suavissimâ ejusdem Salvatoris nostri præsentia recrearentur. Oratio enim mentalis exercitium est, in quo Dominus noster præsentia suâ animas id cupientes consolatur, ubi illis degustandum ac sentiendum te præbet.

Est etiam instar servi illius Patris familias, de quo dicitur in Evangelio, quod ubi amicis suis apparasset convivium, illum misit, ut illos moneret, ut venirent, quoniam omnia jam parata forent: *Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent: quia jam parata sunt omnia.* Oratio enim mentalis bonorum Religiosorum spirituale ac voluptuosum convivium est.

*Dicit:*

*Luc. 14,*

*17.*

*Directio.*

“ Domine , habeo dilectos servos tuos ex-  
 “ pergefacere , ut coram divina Majestate tua  
 “ compareant , te adorent , in te animos suos  
 “ occupent , ac sanctâ præsentia tuâ oblectetur .  
 “ In singulis eorum honorare te cupio , & glo-  
 “ riæ , quam tibi daturi sunt , particeps esse de-  
 “ sidero . Offero tibi actionem istam , ut ea  
 “ ratione eluam noxas , quas tempore occœ-  
 “ cationis meæ in mundo contra te admisi , ubi  
 “ socios meos ab exercitiis pietatis averti . Oro  
 “ te , acceptam illam ut habeas , & gratiam mihi  
 “ istam concedas , ut illam sic exequar , tibi in  
 “ ea ut placeam . Virgo sacratissima , tuis pre-  
 “ cibus auxilio mihi ut sis oro .

*Actus interiores inter excitandum.*

1. Itote Angeli terrestres , ut præsentia &  
consuetudine supremi Regis vestri fruamini .
2. Itote , amici sponsi , ut cum illo congau-  
deatis , atque interiorum animi deliciarum par-  
ticipes efficiamini .
3. Surgitote , divinæ sapientiæ Filii , illius ad  
scholam ut vos conferatis : fore etenim adpro-  
misit , illis ut sese manifestet , qui manè illum  
quæsierint : *Qui manè vigilant ad me , inve-* Prov. 8.  
*nient me .*
4. Manè surgunt opifices , ut opeti ac la-  
bori suo insistant ? Religiosorum opus oratio  
est , ad illam ergo eundum primo diluculo est .  
Nunquid à temporalibus operatiis anteverti se  
finent ? pro cœlo non facient id quod opifices  
pro temporaneo facere amant emolumento ?

32 SPIRITUS ACTIONUM

5. Milites , qui sub Regibus terræ merent,  
summo manè tympanorum tubarumve sono,  
qui sensibus eorum demulcendis nequaquam  
inservit, quoniam vita eorum dura, operosa ac  
laboriosa est, excitantur. Agite Patres ac Fra-  
tres mei , magni milites Regis , præclium ine-  
mus cum vitiis , ac potissimum cum locordia,  
quæ una cæteris vires ministrat , ac sine qua  
*Ps.100.8.* illa facili negotio vincerentur. *In matutino in-  
terficiet omnes peccatores terræ :* hoc est  
omnia vitia , nempe superando desidiam , quæ  
aliorum perversissima nutritur est.

6. Devotio manna cœli est , quod primo  
manè pro toto die reliquo potius comparan-  
dum ac coacervandum est , quām olim illud  
materiale , quod Deus in deserto submittebat  
*Sap.15.27.* Istrælitis , quod pleno die omnino reperire non  
erat. *Ut notum omnibus esset, Domine , quo-*  
*niam oportet prævenire Solem ad benedictio-*  
*nem tuam , & ad ortum lucis te adorare.*

CAPUT XL.

*De eo , qui hyeme post matutinas aut  
alio tempore accedit ignem , quo  
Religiosi se calefa-  
ciunt.*

*Directio.*

**D**omine Deus , obedientia sancta mihi ,  
injungit , ut ignem accendam pro Pa-  
tribus ac Fratribus meis , qui tuis jam tum lau-  
laudibus decantatis somnum repetere ha-  
ben-